Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Antith.

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

ra occurrentium radices sint deperditæ, nullum est certius significationis indicium, qvam qvod ex usu sumitur.

ANTITH.

Ignorata radice vocis שועל, de vera significatione ejus vix qvicqvam certi affirmare possumus.

Prob. I.

Nam præter commune effatum Philologorum ratio ipsa dictat, primitiva suis non materiale tantum; sed ipsum qvoqve formale seu significationem impertire. §. 3.

Resp. Inde minime deduci potest nos non posse certos esse de significatu vocis שועל. Qvod si semel tantum occurreret vox hæc in scripturis, fateor, dubiam ex hac ratione fieri posse ejus significationem. At enim vero, præter hunc locum sexies alibi reperitur, & semper sensu ἀλώπηκος ut verterunt LXX. Interpretes antiqvissimi. Qvod si derivatum non materiale tantum, sed & formale trahit a radice sua, ex sensu vocis שועל, qvi adhuc in sacris usitatus, conjectura capienda est de sensu radicis. Qvanqvam enim ea hodie deperdita est, tamen eam, cum adhuc apud Hebræos esset usitata, talem tenuisse notionem persvasus sum, qvæ ad describendam naturam & proprietatem vulpis satis fuerit apta. Dn. Bochartus a tussiendo nomen gerere asserit, qvod tussi valde obnoxium animal est, ex radice Arabica שעל *tussivit*. Multæ sunt voces in sacris, qvarum radices dudum sunt deperditæ. Qvod si ignorata radice vocis non possumus certi esse de ejus sensu, qvot non vocum significatus in dubium vocabitur? Voces בג *cibus*, בד *linum*, בוץ *byssus*, בית *domus*, בשר *caro* radices suas non habent superstites; at qvis de ipsarum significatu in Scripturis recepto hactenus unqvam dubitavit? Certe non tam radix, qvam usus vocis sensum indicat.

2. Neqve

2. Neqve deperdita radix ex lingva cognata restitui potest, nam 1. incertum, an radix debeat poni διγράμματος, an τριγράμματος 2. Non constat, an ex lingva Chaldaica, Syriaca, Arabica aut alia qvapiam significatio amissa sit repetenda. 3. Dubium manet, qvænam inter diversa radicis significata sit formalis & originaria. §. 5.

Resp. Qvis sensus radicis deperditæ fuerit, de eo cum ex derivatis, tum ex lingvis cognatis fieri judicium potest. Neqve est, 1. Qvod qvis hic nobis objiciat Dn. Casp. Neumanni inventum de verborum & vocum seminibus διγραμματοις. Id enim, cum omni fundamento careat, antiqvissimam sententiam, reliqvarum lingvarum omnium suffragio comprobatam, de radice trilitera minime potest convellere. Qvæ ipsum ratio certum reddere potest, eum, qvem seminibus suis ponit, verum esse ac genuinum sensum? Scriptura unicum principium est cognoscendi vocum Hebræarum significationem. At semina illa in Scriptura non exstant; Radices triliteræ exstant, suos determinatos sensus habentes. Eas Dn. Neumannus dissolvit in duo זרעים semina, atqve illis deinde seminibus imponit sensum, qvem ipse finxit, sine Scripturæ suffragio. Datum deinde seminibus sensum in derivata dividit, atqve ex iiis emphasin & vim eorum determinat. Qvid in hoc humano invento potest esse certitudinis? 2. Collatio aliarum lingvarum Orientalium multum affundit lucis dictionibus, qvarum significatio in Scriptura dubia est. In voce שרעף ea collatione non est opus, qvid enim ipsi insit sensus, ex aliis Scripturæ locis plenissime constat. §. 4. Unam esse cujusqve radicis significationem originariam & formalem, de qva omnia derivata participent, incerta hypothesis est, & Scripturæ usui plane contraria. Nam in sacro Hebræo Codice, qvi solus debet esse fons Lexicorum & Grammaticarum unicus, multæ reperiuntur radices diversarum significationum. Ea, qvæ in radicibus diversitas significatus est, diffunditur qvoqve in derivata. Cum itaqve Scriptura nobis exhibeat radices diversissima significantes, qvæ temeritas est, unam omnibus originariam significationem ponere velle, ex cujus indole tum conjugationes, tum derivata cœte-

ra aliqvid trahant. Annon simplicius est, eos radicibus relinqvere significatus primos, qvos ipsis inesse docet Scriptura, qvam sub unum inventum sensum omnia derivata obtorto collo rapere velle? Certe nihil est, qvod magis fastidiunt pleraqve derivata, qvam familiaritatem significationis suæ primæ radici falso assignatæ. Evolvat qvis Lexicon Castelli, mirabitur, qvanta sit unius radicis significatuum diversitas. Qvod si hypothesis de uno qvodam universali radicis sensu amplectenda est, necesse est, omnibus omnium lingvarum radicibus unum formalem esse significatum, ad qvam diversi illi sensus possint revocari. At hoc videtur plane esse *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*. Periculum fiat in radice שעל. Ea *fodiendi* aut *curvandi* significatum videtur gessisse in Hebræo, cum adhuc esset usitata, ut conjicere est ex derivatis adhuc exstantibus. Ab eo sensu autem longe abit sensus, qvem gerit in reliqvis lingvis Orientalibus. In Syriaca lingva notat *superbivit*. In Æthiop. *tussivit*. In Samar. *defluxit*. In Arab. prædominantur hi significatus, *incendit*, *diffudit*, *laboravit*. Testantur filiæ, Hebræum שעל tam diversos gessisse sensus, cum mater adhuc esset salva. Eum vero dari mihi velim; qvi hos tam diversos significatus sub aliqvem communem conceptum cogat. Dividat hinc D. Neumannus שעל in in duo semina שע & על & dicat nobis, qvalem nam sensum habeat semen utrumqve, cujus indoles in filias & derivata diffundatur, idqve ex infallibili indicio Scripturæ, magnam ipsi debebimus gratiam. Apparet autem ex dictis in inveniendo vocis Biblicæ sensu usum qvam maxime spectandum esse, non originem vocis.

3. Omnino usus consulendus est, at non tamen seorsim. Ad verum genuinum & adaqvatum vocis significatum eruendum ortus & usus simul reqviruntur. §. 4.

Resp. Optime, si adest vocis origo. Si autem radix non amplius est in usu, is genuinus erit vocis sensus, qvam ipsi inesse Scriptura in aliis exemplis indicat. Qvis dubitat genuinam significationem vocis בח esse *fortitudo*, לב *cor*, אמ *mater*, etsi radi-

ces

ces jamdudum periere? At unde hoc constat? Annon ex eo, qvod Scriptura eum sensum in aliis locis indicat? Si radicis defectus dubiam facit vocum Hebræarum significantiam, in qvamplurimis locis Hebræi Codicis nullam habebimus certitudinem.

4. Inter Criticos nondum convenit, qva via ad verum vocum Hebræarum sensum pervenire qveamus. Alii recurrunt ad lingvam Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Hebræa filias. Alii apud Rabbinos, alii apud LXX. Interpretes præsidium qværunt. Hinc est illa significationum in Lexicis multitudo, uti recte censent Autores πολυμαθέσαροι du Journal des Scavans Anno 1703. p. 1030.

Resp. Si ita censent allegati Autores de omnibus promiscue vocibus Hebraicis, minus recte censent. Qvam plurimarum enim sensus in Scriptura planus est, exemplorum confirmatus inductione. Qvod attinet voces ἅπαξ λεγομένας, recurrendum est ad lingvas alias, ad Rabbinos & LXX, qvæ subsidia minime sibi sunt opponenda, ut videntur facere Autores du Journal, sed amice subjungenda. Hæc via est perveniendi ad vocis sensum. Primo consulendus est Scripturæ usus, hinc enim aperit sese radicis significatio; Si is deficit, radicis qvoqve sensus in Hebræo ignoratur; Hinc ad consulenda Rabbinorum scholia, ad conferendum Targum & LXX. viralem versionem deveniendum. Omnes boni Critici hunc ordinem perpetuo observant. Qvod si vero hæc subsidia negligunt, Criticorum nomine non sunt digni.

THES. II.

Vox שועל in Scriptura nihil aliud notat, qvam VULPECULAM. Ergo & Jud. XV. v. 4. vulpes significatum habet.

ANTITH.

Vox שועל citato loco non vulpem notat, sed per-